

rientem qui à iugo Pontificio mansit immu-
nis, veram Ecclesiam tum constituisse, regerere
possimus.

129. Deinde, si vel hæc ipsa quoque Græca Ec-
clesia haud omnis erroris fuit expers, uti certe
non fuit, ijs præsertim temporibus, quibus Con-
stantinopolitani Imperij facta est inclinatio:
Nihilominus tamen in medio etiam Papatu ve-
ra fuit Ecclesia: licet ipse Papatus hæc non esset.

131. Fuerunt tales 1. Sancti illi Martyres, qui 1.
Papatus reclamantes, suo etiam profuso sangui-
ne testimonium veritati perhibuerunt: Quorum
sanguine Romana Babylon, à Iohanne inebriata
dicitur, Apocal. 17, 6.

131. Fuerunt deinde, qui sibi in Christiana ru- 2.
dimenta, quæ parentum incuicatione à teneris
perceperunt, regulam sibi incuipatæ simplicitatis
esse passi sunt: quique, agone constituti, omis-
sa operum fiducia, in unicam Dei misericordi-
am, passionem filij declaratam, sperarunt, & vera
fide in ipsum decesserunt.

132. Fuèrunt denique infantes, qui lavacro re- 3.
generationis sanctificati, prius in vivis esse desie-
runt, quàm gustum ullum idolomanie Pontifi-
cie perceperint.

133. Hi ergò tres cœtus veram constituerunt
in medio Papatu Ecclesiam, & tandem etiam in
Triumphantem illam ac supercœlestem Ecclesi-
am translati fuerunt.

Constat